



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

III. De castitate clericorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

C A P I T V L A.

I.

VERVM, quantum expedit ad profectum & robur fidei Christianæ, vt sacramenta ecclesiæ, in quibus tamquam in vasis medicinalibus populus deuotus & humilis antidotum gratiæ recipere consueuit, in honore & reuerentia ab omnibus habeantur, cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem ministrorum ecclesiæ conuersationem, vniuersis ecclesiasticis personis prouinciæ Saltzburgensis & ciuitatis & dicecessis Pragensi præcipimus, vt in vietu, gestu, & aliis operibus ac circumstantiis status sui, sic honeste se habeant, & decenter, ne propter ipsos nomen ecclesiasticum inter laicos blasphemetur: eisdem districtius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant Crucis Christi, sicut illi quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt non diuina: in conuiuiis suis modestiam & mediocritatem obseruent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem deuitent.

Clerus in
vietu, ge-
stu & aliis
se habeat
decenter.

II.

Prælati vero a grauaminibus abstineant subditorum, & maxime cum ecclesiis visitant, moderrentur expensas; exerceant euectionum nummum, prout in generali Concilio fuit diffinitum.

III.

Præsentis igitur Concilii approbatione præcipimus, vt clerici continenter & caste viuere stu-

Concil. Tom. 28.

Rrr ij

deant, quatenus puro corde & mundo corpore
Deo possint in officio ecclesiastico ministrare. Si
qui vero de cetero deprehensi fuerint detinere
publice concubinas, nisi infra mensem se ab eis &
ab earum consortio separauerint, ita quod domi-
bus ipsorum aut propriis aut aliis quibuscumque
non cohabitent, nec ad illas accedant: extunc e-
nim beneficio ecclesiastico sint priuati, ut per eos,
ad quos beneficiorum prædictorum spectat colla-
tio, personis idoneis conferantur.

IV.

Laii bona
ecclesiæ oc-
cupata re-
stiruant.

Item cum in plerisque locis quorumdam laico-
rum iniquitas inualuerit, quod in rebus ecclesiæ
furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & vio-
lentia fortitudo, synodali iudicio diffinimus, ut qui
bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nec
infra instans festum beati Ioannis Baptistæ eadem
restituerint, & de damnis ac iniuriis satisfecerint
competenter, extunc introitum ecclesiæ sibi no-
uerint interdictum, nec ab episcopis, aut aliis ec-
clesiarum prælatis ad communionem dominici
corporis admittantur. Qui vero obstinata mente,
dum vixerint, satisfacere non curauerint, nullus
clericus sacerdotalis vel regularis sepulturæ eorum in-
teresse præsumat: adiicientes, ut singulis annis in
Synodo, illi qui clericos capiunt, verberant, vel
occidunt, aut alias in ipsos manus iniiciunt violen-
tas, excommunicati denuntientur, & nominati de
illis, de quibus * constituit manifeste.

V.

Quicumque vero personam ecclesiasticam enor-